



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. III. Qualiter servari debeat æqualitas dati, & accepti, concessa-læso
restitutione in integram?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

nec ex iis emptor factus est ditior, ad eorum restitutionem Minori non tenetur; secundò, si expensas fecit, & hæc compensari ipsi debent cum laboris æstimatione, ut dixi alibi; imò etiam, si damnum grave passus esset, quòd interim pecuniã suã caruerit.

Quarta pars etiam probatur: quia nulla lex datur, jubens restitui omnes fructus in eo casu. Nam lex, citata per adversarios, loquitur solùm de læsione *ex inæqualitate contractus, & pretij*. Ubi etiam nos concedimus juxta quantitatem pretij, quòd defecit, restituendos esse fructus interim perceptos. Ratio autem majoris probabilitatis est in eo, quòd restitutio non detur, nisi ad ea, in quibus est læsio; sed læsio est tantùm in fructibus, qui respondent pretio, quòd defuit; nam reliquos fructus, & rem compensat datum pretium; ergo.

§. III.

Qualiter servari debeat æqualitas dati, & accepti, concessa læso restitutione in integrum?

2733.

Quæstio est, an, cum sit restitutio in integrum, & v. g. emptor Minori fundum reddere debet, Minor vicissim, præter pretium, emptori etiam debeat solvere *expensas* necessarias, & utiles cum æstimatione laboris, consideratas secundùm se, & absolutè; an verò cum respectu ad meliorationem, quæ inest rei, dum restituitur? Resp. vel valor meliorationis, tempore restitutionis faciendæ, est minor valore expensarum, vel major? si minor? sufficit solvi valorem meliorationis; si major? sufficit solvere æstimationem expensarum, & laboris. Primum habetur in *L. fundo, 38. ff. de rei vindic. gloss. ibi: V. plus pretio*; Abb. in *c. 1. h. t. num. 4.* Molin. *D. 375.* & ratio est, quia aliàs restituendus de novo læderetur; & emptor sibi imputare debet, quòd fecerit majores expensas, quàm ostendat fructus. Secundum habetur *cap. 1. h. t.* ubi dicitur, quòd ei, contra quem petitur restitutio, refundi debeant *sumptus bona fide facti*; non autem *meliorationes*. Et ratio est, quia melioratio rei est accessoria ipsi rei: ideoque re restituta, & ipsa restitui debet,

Tom. I.

modò indemnis servetur alter, reddendo illi valorem expensarum laboris &c. Layman *in cit. c. 1. n. 7. h. t.*

Hæc responsio procedit etiam in alijs restitutionibus, quæ v. g. fiunt per rescissionem alienationis ob læsionem ultra dimidium in justo pretio, etiam ab eo, qui dominium utile tantùm habet in re, quam melioravit, quales sunt Vasallus, emphyteuta, fideicommissarius &c. Molin. *D. 365.* Excipe tamen, si ex consuetudine recepta in aliqua provincia, melioramenta secundùm valorem, quem habent tempore restitutionis, solvantur, & restituantur, sive is major, sive minor sit valore expensarum, & æstimationis laborum.

ARTICULUS XI.

Quis sit effectus restitutionis in integrum?

Resp. quòd, cum minor, vel Ecclesia restituitur, etiam iis, contra quos restituantur, reponantur in pristinum statum, *L. ergo, 22. §. sicut, ff. de minorib.* Hinc si ob læsionem in venditione restituantur contra emptorem, reddere debent pretium emptionis, quatenus probatur verum in utilitatem læsi, qui restituitur, *L. pradiorum, 10. C. de prædijs minor.* & expensas omnes necessarias, ac utiles ab emptore in rem emptam bona fide factas, una cum laboris æstimatione, ac melioramentis, *c. fin. h. tit. L. intra, 99. junct. gloss. V. expensas, ff. minorib.* secus est de expensis voluptatis causã factis; *L. sine 32. §. item respondit, ff. de administr. Tut.* Nec is, contra quem restitutio facta est, priùs tenetur rem læso reddere, quàm sibi reddita sint hætenus enumerata Abbas *in cit. c. 1. n. 3.*

Præter hoc ad effectum restitutionis etiam pertinet, quòd pendente ejus iudicio, regulariter loquendo, nihil ab una, vel altera parte sit innovandum; donec res finita sit, *L. unica, C. de restit. in integrum postulata*; quòd intellige de restitutione *postulata*; sicut dictum *hoc num. de effectu restitutionis impetratæ*. Ex hoc sequitur, effectum *petite restitutionis* contra sententiam esse, quòd ejus executio suspendatur, nisi subsit malitia in detrimentum alterius *c. 6. h. t.* quamvis Barb. in *c. 1. h. t. n. 3.* velit, quòd restitutio pe-

M m m m

titã